



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 94. Marcelli II. nomen a Sanctacrucio assumptum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

lis in summum Pontificem eligebatur. Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.  
Interim cum eum jamjam folio imponere pararent, tempestive Medicæus Cardinalis, qui eidem amicitiae fœdere junctus erat, antea ritus a summis Pontificibus præscriptos esse observandos admonebat, atque idipsum singuli suo comprobabant suffragio: unde Caraffa Cardinalis sacri Collegii Decanus eundem alta voce tanquam Pontificem proclamabat, ceterique omnes suo quisque ordine idem præstabant, quibus peractis Sanctacrucius recens electus latino sermone Purpuratorum Collegium allocutus exponebat, quod, quamvis muneri sibi imposto longe impar esset, nihilominus, ut omnes obtentæ dignitatis partes expleret, totis viribus ad laborare vellet, exuendo præcipue omnem privatum affectum, ac nonnisi publicam salutem respiciendo.

## §. XCIV.

*Marcelli II. nomen a Sanctacrucio assumptum.*

Alterâ die decima Aprilis re divina pro more peracta Sanctacrucii electio confirmabatur; neoelectus vero Pontifex, qui prius Marcellus Cervinus vocabatur, non mutato nomine suo Marcellus II. appellari voluit. Is natus erat Fani, seu Montis-Fani, quod ditionis

L 5 Eccle-



Sæcul. XVI. Ecclesiasticæ oppidum cuidam monti  
A. C. 1555. inter Auxinum, & Maceratam sito im-  
 positum exurgit. Patrem habuit Ri-  
 chardum Cervinum de Monte Politia-  
 no Marchiæ Anconitanæ thesaurarium,  
 seu Pontificii ærarii Præfectum, Matrem  
 vero Cassandram Benciam nobili fami-  
 lia ortam. Porro Marcellus Senis ani-  
 mum litteris excolebat: inde vero sub  
 Pontificatu Clementis VII. Romam pro-  
 fectus ad dignitatum culmina nonnisi  
 regnante Paulo III. evehebatur, a quo  
 etiam ex illis, qui a secretis erant, pri-  
 mus nominabatur; cum autem idem  
 Pontifex Farnesium Cardinalem Nepo-  
 tem suum in Franciam, & Belgium Se-  
 dis Apostolicæ Legatum ad dissidia Cæ-  
 sare inter, & Galliarum Regem com-  
 ponenda decerneret, Marcellus ejusdem  
 Cardinalis in itinere socius seligebatur:  
 cum vero hujus negotii difficultas  
 promptum exitum haud sponderet, hinc  
 Cardinalis Legatus totius rei executionem  
 Marcello Cervino relinquebat: Hic  
 tum nonnisi Neocastrensis Episcopi ti-  
 tulum gerebat, postea Reggensem, at-  
 que Eugubinam Ecclesias regendas ob-  
 tinebat, quinimo Romam redux a Pau-  
 lo tertio Anno Christi millesimo quin-  
 gentesimo trigesimo nono Cardinalium  
 Collegio adscriptus, demum Synodi Tri-  
 dentinæ Præses nominabatur.

§. XCV.